DE ATHENIENSIUM LOGISTIS EUTHYNIS SYNEGORIS.

Scripsit

Aemilius Koch.

Beilage zum Jahresbericht des Gymnasiums zu Zittau. Ostern 1894.

Zittau.
Druck von Richard Menzel.
1894.

1894. Progr. Nr. 548.

De Atheniensium
logistis euthynis synegoris.

De Atheniensium logistis euthynis synegoris quaestionem satis intricatam et jam diu multumque inter philologos tractatam quod hac oblata occasione denuo tractandam censuimus, fortasse non reprehendemur ab eis, qui, quomodo haec quaestio comparata sit, perspexerint. Ea enim, quae ante Aristotelis de Atheniensium re publica librum redivivum de rationibus a magistratibus Atticis post munera deposita redditis conscripta erant, plus minus omnia luculento illius testimonio irrita facta sunt. Neque defuerunt, qui hoc novo doctrinae lumine allato de logistis quoque euthynisque quaestionem redintegrarent; et maxime qui antiquitatum Atticarum enchiridia composuerunt (Victor Thumser, Georgius Busolt, Gustavus Gilbert), facere non potuerunt, quin in hanc quoque rem data opera inquirerent. Cum tamen eorum alius alia de hac re protulerit, non plane supervacaneum videbitur, quae recte disputata esse existimemus, breviter complecti. Neque enim Wilamowitzio, qui nuper, qua est elegantia doctrinae quoque ingenii acumine, librum de Aristotele confecit in eoque etiam hanc nostram quaestionem pertractavit,[1] in omnibus rebus — etsi in plurimis gravissimisque — adstipulandum esse crediderim. Quae cum ita sint, hoc nobis proposuimus, ut virorum doctorum opinionibus, quae antiquioribus temporibus prolatae nunc stare amplius non possunt, plerumque praetermissis ea, quae vel inter omnes videantur constare vel ab aliis recte explicata esse, breviter indicemus; quae vero minus recte putemus perspecta, ea paullo plenius exponamus.

Praestat sine dubio exordium facere ab ea euthynarum Atticarum forma, qualem Aristotelis temporibus fuisse ipsius philosophi testimonio cognovimus,[2] postea quaerere, qualis antea fuerit. Nam Aristotele duce, etiamsi non omnia singula nimis accurate ac dilucide indicavit, tutissimi ibimus, cum, quae alioquin traduntur, licet magni interdum sint momenti, tamen plerumque parum inter se cohaereant.

Atque id quidem jam diu cognitum erat, omnibus magistratibus Atticis rationes fuisse reddendas, immo, quicunque pecuniae publicae quamvis exiguam partem privati administraverant vel quavis potestate publica ornati fuerant, ejusmodi rationum examini subjectos fuisse.[3] Nec minus illud jam pridem innotuerat, diversos magistratus in talibus rationibus reposcendis adhibitos esse, in quorum negotiis accuratius definiendis maxime elaboravit Rudolfi Schoellii[4] acre ingenium;

[1] U. von Wilamowitz-Moellendorff, Aristoteles und Athen, Berl. 1893. II, Nr. 12: *λόγος* und *εὔθυνα*. Cum in eis, quae insequuntur, Wil. notam nude positam invenies, hunc librum intellegendum esse scias.

[2] Aristot. *Πολ. Ἀθ.* 48, 3—5. 54, 2.

[3] Aeschin. III, 15. 17. 22.

[4] De synegoris atticis, Jenae 1876.

cui tamen, ut nunc perspectum est, non contigit, ut rem recte expediret.[1] Elucet tria fuisse rationum illarum genera; primum rationes intra magistratus gesti annum redditas secundum singulas prytanias, deinde, quae propria significatione dicuntur, euthynas statim post munus depositum institutas, postremum sollemnes causas in eos magistratus, qui jam in judicio rationes reddiderant, euthynorum opera intentas. Haec hoc ordine breviter liceat persequi.

I.

Penes senatum summam fuisse totius rei publicae Atticae administrandae nemo est qui ignoret. Itaque quicunque pecuniam publicam administrabant vel senatores vel magistratus alii vel privati, sub senatus custodia erant omnes. Propterea in titulis invenimus magistratus ob eam rem laudatos, quod bene justeque senatui de rebus mandatis rationes reddidissent: CIA II, 329 (de quaestore quodam senatus) *ὑπὲρ ἁπάντων ὧν ᾠκονόμηκεν ἀπολελόγισται τῇ βουλῇ ὀρθῶς καὶ δικαίως*; cf. ibid. 467, v. 89 (de epheborum cosmeta); aut jubentur quidam tales referre rationes CIA II, 403; 404. At non eos solum, qui senatus jussu egerunt, sed ad unum omnes magistratus secundum singulas prytanias ejusmodi examine fuisse obstrictos, jam diu Lysiae verbis quibusdam recte explicatis cognosci potuit, cum diceret (XXX, 5): *οἱ μὲν ἄλλοι τῆς αὑτῶν ἀρχῆς κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσι,*[2] *σὺ δέ κτλ.* Sicut igitur Atheniensium gens adversus magistratus suspiciosissima *ἐπιχειροτονίαις* illud *δοκιμασίας* examen, quod unicuique ante munus gerendum subeundum erat, secundum singulas anni partes renovabat, ita etiam, quae muneris anno exacto fiebant, euthynae secundum singulas prytanias videntur quodam modo praesumi solitae esse.

Turbatum de hac re testimonium Pollux servavit, qui haec habet (VIII, 99): *δύο δ' ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς, ὁ δὲ τῆς διοικήσεως λογισταί.*[3] *Καὶ τούτους ἡ βουλὴ κληροῖ κατ' ἀρχὴν ὡς παρακολουθεῖν τοῖς διοικοῦσιν.* Haec quamvis somnians exscripserit homo neglegentissimus, tamen manifestum est quaedam bonis ex fontibus hausta ei praesto fuisse de magistratibus senatus custodiae subjectis. Vix enim fieri potest, quin primis verbis memoria contineatur obscurata sane de binis logistarum i. e. calculatorum generibus, ad quorum alterum tantummodo, i. e. logistas senatorios, quae insequuntur videntur spectare.

At res quomodo vere se habuerit, nunc tandem sumus edocti claris certisque verbis Aristotelis, qui haec tradit (*Πολ. Ἀθ.* 48, 3): *κληροῦσι δὲ καὶ λογιστὰς ἐξ αὑτῶν οἱ βουλευταὶ δέκα τοὺς λογιουμένους ταῖς ἀρχαῖς κατὰ τὴν πρυτανείαν ἑκάστην.* Videmus igitur denos quotannis logistas ab ipso senatu sorte ductos esse, ipsos quoque senatores, quorum esset provincia, ut magistratuum rationes (tabellis sine dubio conscriptas) secundum singulas prytanias reposcerent ac computarent.

---

[1] Vix tamen Wilamowitzio II, 231 concedendum sit, Schoellii judicium propterea imprimis deceptum esse, quod ejus disputatio falsario de logistis et synegoris insistat testimonio lex. Cantabrig. 672. Sed quidquid de his verbis sine dubio valde depravatis judicas (cf. Kaibel, Stil und Text der *Πολ. Ἀθ.* Berl. 1893 p. 227), non tam haec virum doctum fefellerunt, quam quod de pagi cujusdam decreto minus recte judicavit; cf. quae infra de hac re disserentur.

[2] Pro *ἀναφέρουσι* potius *ἀποφέρουσι* scribendum esse existimem, quae quidem vox est sollemnis de redditis rationibus.

[3] Nam quin verba ita conjungenda sint, nunc nemo dubitabit, idque jam confirmabatur verbis scholiastae Aeschin. I. p. 739 R.

Dolendum sane est de eorum negotiis nihil amplius tradi. Id tamen conjectura licebit colligere eos negotia inter se partitos esse deque rebus a se actis rettulisse ad senatum. Is procul dubio in eos magistratus, qui fraudis alicujus erant suspecti, accuratius inquirebat et logistarum accusationibus probatis pecuniam debitam ab illis exigebat vel etiam potestate sua utebatur multas illis imponendi.[1]

Ejusmodi rationum, quae a magistratibus secundum singulas prytanias redditae sint, exempla occurrunt in titulis. In CIA II, 737 B (cf. in Addend. p. 508) habes rationes pecuniarum publicarum, quae sub quaestorum Minervae custodia erant, annis a. Ch. n. 306/5 et 305/4 sec. pryt. redditas. Ejusdem est generis *λόγος* magistratuum, qui audiunt *ἐπιστάται οἱ Ἐλευσινόθεν* quaestorumque duarum dearum, quem exhibet CIA II, 834b (ann. 329/8). Praeterea conferas CIA II, 829 (rationes curatorum reficiendo Erechtheo creatorum ann. 395/4); 833 (*τειχοποιοί* ann. 355/4). Contra cave ad hujusmodi rationes referas, quae memorantur euthynae in titulo CIA II, 114. Hoc non moneremus, nisi V. Thumser (Lehrb. d. griech. Staatsaltert. von Herrmann[6] 479 n. 1) contendisset eas rationes tales esse intellegendas, quales a singulis senatoribus senatui redditae essent; quod si verum esset, ad logistas senatorios videri possent pertinere. Sed accuratius varia illa decreta perlegentem fugere vix potest, verba *ἐπειδὰν τὰς εὐθύνας δῷ*, quae ter ibi inveniuntur, ad euthynas spectare solitarias post munus exactum institutas. Numquam vero de talibus rationibus, quales voluit Thumserus, usurpantur verba *εὐθύνας διδόναι*, sed *λόγον ἀποφέρειν* vel *καταβάλλειν*; cf. titulos quos commemoravimus. Deinde senatus vix singulis senatoribus praemia constituerit non perspecta antea eorum fide ac studio in mandatis faciendis. Denique certissimum est formulas illas dicendi propterea adhibitas esse, ne rogationes contra legem illam notissimam viderentur factae esse, de qua multis verbis Aeschin. III, 9 sq. locutus est; cf. CIA II, 190, 287, 307.

Eos logistas, de quibus modo diximus, reipublicae fuisse proprios apparet nec fieri potuisse, ut pagi (qui suis plerumque institutis rei publicae quasi imaginem referebant), cum senatum non haberent, ejusdem generis crearent logistas. Tamen haud dissimile est tali rationum reddendarum modo, quod pagi cujusdam[2] decreto constitutum videmus. Legitur hoc decretum in titulo valde truncato CIA II, 571. Quem cum Ulricus Koehler restituere noluisset nec Boeckhio rem feliciter cessisse putasset, facere non potuimus, quin verba, quod quidem potuerimus, redintegrare conaremur, ita tamen, ut quae minus essent certa haudquaquam nos fugeret. Comparatis tamen praecipue versibus secundo, tertio, quarto, tertio decimo probabile fieri videtur tituli *στοιχηδόν* exarati versus singulos litterarum fuisse tricenarum senarum.

Itaque decretum in hunc fere modum legendum censemus:

[Ε]ὐθήμων ε[ἶ]πεν· ὅπως ἂ[ν ἀεὶ σῶαι ὦσι αἱ πρόσοδ-
[ο]ι τοῖς δημόταις κα[ὶ λόγον καὶ εὐθύνας εὖ δι-
[δ]ῶσιν οἱ δήμαρχοι κα[ὶ οἱ ἄλλοι ἄρχοντες, δεδ-

[1] Cf. Meier-Schoemann, Att. Proc. ed. Lipsius p. 49. Busolt, die griech. Staats- und Rechtsaltert. 258. Gilbert, Handb. d. gr. Staatsalt. 313. Huc pertinent, quae leguntur apud Arist. *Πολ. Ἀθ.* 45, 2: *κρίνει δὲ τὰς ἀρχὰς ἡ βουλὴ τὰς πλείστας, μάλισθ' ὅσαι χρήματα διαχειρίζουσιν· οὐ κυρία δ' ἡ κρίσις, ἀλλ' ἐφέσιμος εἰς τὸ δικαστήριον.*

[2] Aexonensium vel Halaeensium secundum Wilamowitzii opinionem (II, 239). Equidem Halaeensibus haud dubitanter hoc decretum attribuerim, cum rogatoris nomen inter alios ejusdem aetatis Halaeenses legatur CIA II, 1208 v. 7: *Εὐθήμων Εὐπόλιδος*, ubi tres quoque Euthemonis cujusdam filii comparent.

όχθαι τοῖς δημόταις [καθ' ἕκαστον μῆνα διδόν-
[αι] το(ὺ)ς ταμίας τὸν λόγ[ον τῶν τε ὄντων χρημάτω-
[ν] καὶ τῶν ἀναλωμάτων· ἐ[ξανοιγόντων δὲ καὶ τὴ-
[ν] κιβωτὸν κατὰ τὸν μῆν[α, καθάπερ ἐπόουν οἱ νῦ-
[ν] δὴ κ[α]ὶ οἱ ἐπὶ Ναυσιγέ[νο(υ)ς· ἐὰν δὲ μὴ ἀπολογίσ-
[ων]τ[α]ι ἐθελονταί, ἐμβα[τεύεσθαι ἕως ἂν διδῶσ-
[ιν]τ[ὸ]ν (λ)όγον· τὰς δὲ εὐθ[ύνας γίγνεσθαι ἀεὶ ἐν
[τ]ῷ [ὑ]στέρῳ ἔτει πρὸ[τῆς δεκάτης ἑκατομβαι-
ῶνος μηνὸς ἐκ τῶν ἑκ[άστῳ ταμίᾳ γραμματεί — vel *γεγραμμέν-*
[ω]ν (?), *ἐξ ἄλλων δὲ μή· στ[ῆσαι δὲ καὶ τοὺς ταμίας ἐν*
[τ]ῇ ἀγορᾷ ἀναγρ[αφὴν ἀναλωμάτων κατὰ τὸ ψή-
[φ]ισμα· ἐξορκούτω [δὲ ὁ νέος δήμαρχος τὸν μὲν ε-
[ὔ]θυνον καὶ το(ὺ)ς πα[ρέδρο(υ)ς καὶ τὸν λογιστὴν κα-
[τ]ὰ τὸ ψήφισμα τὸ ἐ[ν τῇ δημοτῶν ἀγορᾷ ἀναγε-
[γ]ραμμένον· ἐὰν δὲ [μὴ ψηφίζωνται οἱ δημόται (?), *ο-*
[ἱ ταμί]αι μὴ ἐξέλωσ[ι ......

Lectionis varietatem a Koehlero in Corp. Inscr. Att. enotatam, unde etiam, quae Froehnerus conjecerit, perspicitur, hic repetere supersedeamus. Pauca tamen de rebus singulis, quae memorabili hoc titulo continentur, adnotare nobis liceat.

Vers. 1. certo restitui nequit; ea quae dedimus, exempli gratia posuimus. — V. 2. Utrumque, et *λόγος* et *εὔθυναι*, fuisse commemoratum eis quae insequuntur probabile fit. — V. 4. Cum prytanias haberent nullas, demotae, ut secundum singulos menses rationes referrentur, videntur constituisse (cf. v. 7), unde fortasse concludere licebit demotarum conciones quotannis fuisse plerumque duodenas. — V. 5. Vix minus recte potuit restitui *τῶν τε δήμῳ προσόδων καὶ κτλ.* — V. 7. De cista hoc loco commemorata conferas, quae B. Haussoullier exposuit (La vie municipale en Attique p. 81), cum alium pagi cujusdam titulum, cujus opera in dijudicanda hac quaestione jam diu viri docti usi sunt (CIA II, 578), explicandum susciperet. Comparato enim eo de quo agimus titulo rem ita factam esse contendit: ‚Le logiste recevait de ses mains (i. e. magistratus munere defuncti) un coffret qui renfermait les livres de comptes; c'étaient sans doute de petites tablettes, sur lesquelles étaient gravées d'un côté les recettes, de l'autre les dépenses.' Tamen vera haec esse vix possunt. Siquidem vers. 6. recte restituimus, non de pluribus cistis, quas singulas singuli habuerint magistratus, sed de una cogitandum erit, quae fortasse in demarchi custodia erat. Qua de re etsi certi quidquam vix licebit statuere, tamen quae nostra sit sententia indicabimus. Videntur cista illa publico obsignata signo contineri non solum rationum libelli, sed etiam locationum tabellae aliaeque ejusmodi res, fortasse etiam praesens pagi pecunia publica. Rei sane conveniebat cistam illam per concionum occasionem aperire, reditus publicos ibi deponere, quae solvenda essent, solvere, quaestorum rationes tabellis conscriptas, cum examinatae et probatae essent, ceteris documentis adjungere. Anno muneris exacto, cum quaestorum euthynae instituebantur, aliud nihil opus erat nisi singulas rationes computare cumque paganorum decretis ceterisque documentis conferre. Ita etiam, quae vers. 12. dubitanter posuimus, explicari possint. — Vers. 8. *Οἱ ἐπὶ*

Ναυσιγένους (qui archontis munere functus est anno a. Chr. n. 368/7) magistratus videntur fuisse anni ejus, qui proxime antecesserat ipsi tituli anno. — Vers. 9. Facere non poterimus, quin hoc loco ἐμβατεύειν verbum (ut videtur forma passiva positum) suppleamus quamquam vix solita significatione explicandum. Fortasse autem poterat de eis usurpari, qui pecuniam publicam injuste viderentur retinere. — Vers. 11. Temporis definitionem hic temptatam satis fore probabilem speramus. — Vers. 14. Videtur pagi forum significari. — Vers. 15. De hoc versu restituendo conferas CIA II, 578, v. 18. — Vers. 16. Logistam inter magistratus euthynis dijudicandis creatos non defuisse per se probabile est comparato praesertim eo titulo, cuius modo mentionem fecimus.

Reliqua fere incerta sunt. Siquidem vers. 19. ταμίαι supplendum est (cf. lect. var.), verbum ἐξελεῖν non eodem modo potest explicari atque in titulo CIA II, 578, vers. 16, de quo infra dicendum erit.

II.

Videmus in eo decreto, de quo modo diximus, certis verbis distingui inter rationes intra ipsum magistratus gesti annum reddendas (vers. 5. διδόναι τὸν λόγον) et euthynas, quae posteriore demum anno instituuntur (vers. 10. sq. τὰς δὲ εὐθύνας..... ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει κτλ.). Neque aliter actum esse de ipsius rei publicae magistratibus sat notum est. Sicut enim uniuscujusque anni menses extremi novis magistratibus eligendis sortiendisque destinati erant, ita ineunte anno, qui modo munera deposuerant, examen de rebus a se gestis subibant, idque significatione propria antiquissimaque εὔθυναι[1] nominabatur. Omnes magistratus Atticos huic examini subjectos fuisse, etiam illos, qui pecuniam publicam nullam administravissent, itemque, quicumque quovis modo ad rem publicam accessissent, ita titulorum, oratorum, grammaticorum testimoniis inter omnes constat, ut de hac re non amplius verba nobis facienda sint.

Illud solum non omittendum videtur, etiam senatores singulos eodem ac ceteros modo in euthynarum examen esse deductos. Negat enim hoc Hermannus (ed. VI, p. 479,[2] 488), qui senatorum rationes angustioribus finibus circumscriptas fuisse contendit, ita quidem, ut famam tantum malam rebus non bene gestis, non poenam meruisse putandi sint. Quod vero, quo usus est, Andocidis loco probare non poterit; nam etsi oratoris verbis non diserte declaratur senatoribus praevaricationis poenam fuisse extimescendam, tamen id statuere eisdem verbis certe non vetamur.

[1] De rationibus reddendis εὔθυναι plurali semper quod sciam numero usurpatum est, cum εὔθυνα multa potius sit vel omnino poena in talibus aliisque causis imposita. Igitur εὔθυναν ὀφείλειν scriptum invenimus (Lys. X, 27; XI, 9), numquam vero εὔθυναν διδόναι. Minus videtur usitata fuisse ea dicendi ratio, qua Arist. Πολ. Ἀθ. 48. usus est: εὔθυνάν τινι ἐμβαλέσθαι (ἄν τ' ἰδίαν ἄν τε δημοσίαν); nam quae apud Aristoph. leguntur (Ach. 649: ἐμβάλλειν τινὰ ἐς γραφάς) vix apte conferri possunt. Malim ita convertere in sermonem latinum: poenam expetere ab aliquo de rebus sive privatis sive publicis.

[2] „Aus der Gegenüberstellung des Rates und der Volksversammlung bei Andoc. II, 19. οἱ μέν γε σχολῇ περὶ τῶν εἰσαγγελλομένων σκοποῦνται, ὑπάρχει τε αὐτοῖς, ἐάν τι ἐξαμαρτάνωσιν, αἰτίαν ἔχειν καὶ λόγον αἰσχρὸν ἐκ τῶν ἄλλων πολιτῶν· ὑμῖν δὲ οὐκ εἰσὶν ἕτεροι, ὑφ' ὧν αἰτίαν ἂν ἔχοιτε etc. geht hervor, dass der Rat nur moralisch verantwortlich sein sollte; keineswegs lässt sich mit Schömann, Antiqu. jur. 212, aus Demosthenes XXII, 38 eine juristische εὐθύνη (l. εὔθυνα) ableiten; vielmehr müssen die daselbst genannten Buleuten wegen besonderer, ihnen speziell übertragener Obliegenheiten zur Rechenschaft verpflichtet gewesen sein“ e. q. s. Similiter judicat Wil. I, 203.

Et recte videtur fecisse Schoemannus l. l., quod ex alio quodam loco (cf. adnot.) conclusit senatum sicut ceteros magistratus in jus vocatum esse, idque probatur titulo CIA II, 114, siquidem vera est nostra de illo sententia, quam supra protulimus, nec minus manifesto Aeschinis testimonio.[1] Omnibus igitur, quicumque *προσῆλθον πρός τι τῶν κοινῶν* (Aeschin. III, 22), statim post munera deposita rationes erant reddendae; quod si non fecerant, eis timendum erat, ne *ἀλογίου δίκῃ* obligarentur. Sed nunc missa faciamus et hanc, de qua paucis infra dicendum erit, et angustos legum terminos, quibus magistratus hypeuthynos circumscriptos fuisse Aeschinis loco satis noto (III, 21) edocemur. Id autem certius definire nobis liceat, quinam magistratus hypeuthyni intellegendi sint; nam in hac re fortasse interdum a viris doctis erratum est. Nos hypeuthynos solos eos intellegimus, qui magistratu abierint necdum in judicium deducti sint rationum reddendarum causa. Hi enim soli vere *ὑπεύθυνοι*, i. e. *ταῖς εὐθύναις* subjecti erant. Itaque quae de talibus magistratibus lege statuta erant, neque ad eos pertinebant, qui muneribus fungebantur, neque ad eos, de quibus judices in compendiario euthynarum judicio suffragia tulerant. Qui etiamsi delicti alicujus damnati erant sive priorum judicum calculis absoluti euthynorum opera denuo in judicium introducebantur (Aristot. *Πολ. Ἀθ.* 48), hypeuthyni tamen esse desinebant.[2] Haec si vera sunt, valde dubium videtur, an recte ab Aeschinis scholiasta[3] non tradatur denuntiationes quoque interdum contra hypeuthynos factas esse. Certe nullum ejus rei extat exemplum nec denuntiationibus videtur opus fuisse, quoniam unicuique licebat per euthynarum occasionem magistratum quemlibet de rebus vel privatis vel publicis accusare. Erit fortasse qui contra nos facere putet verba Demosthenis XIX, 103: *εἴ γέ τι τῶν προσηκόντων ἐγίγνετο, ἐν εἰσαγγελίᾳ πάλαι ἂν ἦν.* Sed illud *πάλαι* optime referri potest ad ipsum illum annum, quo munere fungebatur Aeschines.

His de magistratuum hypeuthynorum condicione praemissis ad ipsum illud euthynarum examen accedamus, quod primis singulorum annorum diebus institui solebat. Diversa magistratuum collegia, logistas cum synegoris, euthynos cum assessoribus, in his rebus agendis adhibitos fuisse jam diu erat notum. Quae vero de illorum negotiis viri docti conjectura assecuti esse sibi visi erant, haec magnam partem falsa esse Aristotelis testimonio evincitur. Nunc, ut accuratius de his rebus iudicare possimus, primum distinguendum est inter euthynas quasdam compendiarias, quae intra certum post munera deposita temporis spatium dijudicabantur, et causas sollemnes (*γραφάς*), quae post prius illud judicium institutae non multum ab aliis causis publicis privatisve differebant. Haec duo rationum reddendarum genera accurate discernenda esse vel ex eo elucet, quod legibus Atticis quam maxime cautum erat, ne de eisdem rebus bis in judicio ageretur,[4] idque etiam de euthynis valere is quem attulimus locus demonstrat.

Nonne vero haec contra ea dicere videntur, quae ab Aristotele *Πολ. Ἀθ.* 48. traduntur quaeque jam ante contenderat Schoellius (de syneg. att. p. 23) quamquam tum vix a quoquam

[1] III, 20: *πάλιν τὴν βουλὴν τοὺς πεντακοσίους ὑπεύθυνον πεποίηκεν ὁ νομοθέτης.* Cf. Lipsius, Att. Proc. 260, n. 157.

[2] Hoc modo difficultas quaedam videtur tolli, quae inest in Aeschinis causa *παραπρεσβείας* post longum temporis spatium finita (Wil. II, 286 n. 19); nam Aeschinem statim post muneris annum in judicio illo compendiario *δεδωκέναι τὰς εὐθύνας* persuasum habemus.

[3] Ad I, 1, p. 719 R. *ἐνίοτε μέντοι καὶ εἰσαγγελίαι κατὰ τῶν εὐθυνομένων ἀπετίθεντο.*

[4] Demosth. XX, 147. *οἱ νόμοι δὲ οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν οὔτε δίκας οὔτ' εὐθύνας οὔτε διαδικασίαν οὔτ' ἄλλο τοιοῦτ' οὐδὲν εἶναι.*

probata, viros, quos nihil mali in munere administrando commisisse judices declaravissent, denuo de magistratu gesto potuisse in judicium vocari? Hanc difficultatem enodare vix possumus, nisi statuimus, prius illud examen magis perfunctorium quasi non propriam fuisse actionem judicialem, in eoque judices populi quodammodo vices gessisse. Probatur id fortasse etiam ea re, quod interdum euthynas praeter *γραφάς* et *δίκας* commemoratas videmus: [Xen.] *Πολ. Ἀθ.* III, 2. [Dem.] XLVI, 9. Quod etsi satis jam inter omnes constat, tamen hoc loco de industria plenius exposuimus, quod magni est momenti ad euthynarum, quas compendiarias diximus, rationem cognoscendam et definiendam.

Omnes magistratus, non solum eos, qui fraudis alicujus suspecti essent, post muneris annum in judicum juratorum judicium introductos esse Schoellius (l. l. p. 13) perspexit. Apte hoc examen gesti magistratus cum illo comparatum est, cui, antequam magistratum gererent, subjecti erant omnes, qui vel sorte vel suffragiis ad munus quoddam destinati erant. Utroque enim, et *δοκιμασίας* et *εὐθυνῶν*, judicio prohibebatur, ne quis contra populi, apud quem summa potestas erat, voluntatem aut capesseret rem publicam aut munere suo juste recteque defunctus esse videretur. Euthynis dijudicandis quingenos singulos adfuisse judices in lex. Cantabrig. p. 672, traditur, neque est, cur de ea re dubitemus. Porro omnes ejusmodi causas a logistis instructas esse, in eo et veteres et recentiorum temporum viri docti consentiunt. In solis autem praetorum euthynis, quarum omnino singularis erat condicio, praesidium erat penes thesmothetas,[1] easque ob eam rem ab hac quaestiuncula segregandas duximus. Una cum logistis munere fungebantur synegori quidam (Aristot. *Πολ. Ἀθ.* 54. Lex. Cant. l. l. Lex. Seguer. V, Bekk. I, 301; cf. etiam Harp. p. 173); euthynos autem ab illa actione compendiaria alienos fuisse nunc scimus, ante Aristotelis librum inventum ne suspicari quidem potuimus.

Quod autem Aristoteles disertis verbis monet, solos logistas cum synegoris rationes hypeuthynis reddendas curavisse,[2] id Wilamowitzius (I, 227) ita explicabat, ut Aristotelem hoc loco alterius cujusdam scriptoris errorem refutare censeret. Comparat enim cum eis, quae apud nostrum leguntur, Harpocrationis[3] verba; ex eis elucere virum doctum, cujus auctoritate haec nitantur, primas in magistratuum rationibus reddendis partes non logistis, sed euthynis tribuisse. Recte Wil. indicavit, quid in tali verborum interpretatione parum credibile sit. Quomodo enim homo aequalis de illis institutis publicis tam perversa tradere potuit? Tota res quomodo se habeat, non satis adhuc perspectum videtur et licebit certe viri doctissimi pace aliam explicandi

[1] Gilbertus, qui l. l. p. 251, n. 2. hoc Polluci VIII, 88. credere noluit, oblitus est rem sibi cum ipso Aristotele gerendam esse (*Πολ. Ἀθ.* 59).

[2] *Οὗτοι γάρ εἰσι μόνοι [οἱ] τοῖς ὑπευθύνοις λογιζόμενοι καὶ τὰς εὐθύνας εἰς τὸ δικαστήριον εἰσάγοντες.*

[3] p. 88. Bekk. *εὔθυνοι ὄνομα ἀρχῆς παρ' Ἀθηναίοις· ι' τὸν ἀριθμὸν ἦσαν ἄνδρες, παρ' οἷς ἐδίδοσαν οἱ πρεσβεύσαντες ἢ ἄρξαντες ἢ διοικήσαντές τι τῶν δημοσίων τὰς εὐθύνας· διείλεκται περὶ αὐτῶν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθ. πολ.* Concedere non possum eum, qui haec scripsit, errasse, cum *ἀρχήν* euthynos diceret. Non enim a fori Attici usu alienum videtur senatorum collegium (siquidem euthyni erant senatores), quod singulari quadam potestate auctum erat, et ipsum *ἀρχήν* appellari, praesertim cum vix de senatu universo hanc vocem usurpare prorsus perversum sit. Vide quam Aristoteles (*Πολ. Ἀθ.* 43—62) conjunctim cum ceteris magistratibus disserat de senatu (ut pauca afferamus: 47: *συνδιοικεῖ δὲ καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρχαῖς τὰ πλεῖστα*, et magis etiam perspicue 62 ext. *ἄρχειν δὲ τὰς μὲν κατὰ πόλεμον ἀρχὰς ἔξεστι πλεονάκις, τῶν δ' ἄλλων οὐδεμίαν, πλὴν βουλεῦσαι δίς*).

viam ingredi. Putaverim praecipuam in verbis Aristotelicis vim tribuendam esse verbis *τοῖς ὑπευθύνοις*, ut logistae illi, de quibus sermo est, et synegori recte et accurate distinguantur et ab euthynis et ab illis, de quibus antea dictum erat, logistis senatoriis. In illa enim actione compendiaria, quam de omnibus magistratibus hypeuthynis institutam esse diximus, quin praeter denos logistas synegorosque nullus magistratus munere functus sit, non potest dubitari. Quod si verum est, in philosophi verbis fortasse nihil est, quod nos cogat putare, hoc loco discrepantem alterius cujusdam opinionem refelli.[1] Restat, ut de Harpocrationis loco pauca addamus. Et potuit sane ab homine rerum Atticarum minus gnaro facile ita errari, ut magistratus muneribus defunctos ad illos rationes rettulisse putaret, per quos praevaricationis poenas a magistratibus petitas esse vel apud Aristotelem vel apud alium scriptorem legisset. Maxime enim grammatici id ipsum videntur egisse, ut docerent euthynos diversos fuisse a logistis.[2] Quomodo autem differant, ne unus quidem eorum demonstrat; satis habent indicare utrosque in rationibus reddendis adhibitos esse. Tamen Wilamowitzium rectum vidisse, cum diceret Harpocrationem nostro quoque loco doctrinam ab Aristotelica diversam sequi, non praefracte negemus. Fieri enim potest, ut ille, ex quo sua hausit, de rebus saeculo quarto antiquioribus dixerit. Sed de hac re alio loco videndum erit.

Nunc igitur ut illius compendiariae, quam diximus, euthynarum actionis imaginem quandam repraesentemus, de logistarum et synegororum negotiis disseramus. Logistas illos, quos Arist. cap. 54. commemorat, non confundendos esse cum eis, de quibus cap. 48. dictum erat, primus docuit J. H. Lipsius (Berichte der sächs. Ges. d. Wiss. 1891, S. 65), quem praeter Thumserum (l. l. 652, n. 4) fere omnes secuti sunt. Huic autem non contigit, ut causas afferret idoneas, quibus Lipsii sententia infringeretur. Quod enim utrumque collegium denorum virorum erat, utrumque sorte ductum, utrumque eadem nominatum appellatione, in eo vix offendet, qui perspexerit, quam non diligentes fuerint Athenienses in magistratibus appellandis. Logistarum autem i. e. calculatorum nomen tale est, quale ad diversissima magistratuum genera significanda usurpari poterat. Neque ea re quidquam efficitur, quod priore loco (c. 48) logistas senatorios cum euthynis conjunctos videmus. Nam quin id ob eam rem factum sit, quod euthyni quoque a senatu fuerint sorte creati, dubitari nequit. Ac confirmatur Lipsii sententia diligentius perspecto ordine, quem Aristoteles in enumerandis magistratibus secutus est. Denos igitur logistas illos pro certo habemus non a senatu, sed sicut plerosque magistratus publicos uno eodemque die cum archontibus (Dem. XXIV, 150 *ὅρκος*) sorte constitutos esse, singulos ut videtur ex singulis tribubus; nam alia ratio inter eos tribusque intercedere vix poterat. Quod apud schol. Aeschin. III, p. 765 R. est: *λογιστὴς ἑκάστης φυλῆς εἷς*, huic nihil tribuendum censeo. Nec vero plus auctoritatis habent, quae insequuntur: *γραμματέα δὲ ἕκαστοι εἶχον· λέγει οὖν νῦν τὸν τῶν λογιστῶν.* Fieri certe poterat, ut logistarum collegio scriba esset, idque de quinti saeculi logistis tricenis certo scimus (CIA I, 228). Sed scholiasta ejus rei testis haberi nequit, cum aperte sua ex ipsius oratoris verbis confinxerit

[1] De *μόνοι* in *μόνον* vel *μόνοις* corrigendum primo cogitaveram, postea sententiam mutavi. Ceterum nihil in papyri verbis inest, quod dubitationem habeat, nisi quod articulus *οἱ* in codice omissus deesse non potest.

[2] Cf. Harpocr., p. 121. *διείλεκται περὶ τούτων* (i. e. *τῶν λογιστῶν*) *Ἀρ. ἐν τῇ Ἀθ. πολ., ἔνθα δείκνυται ὅτι διαφέρουσι τῶν εὐθύνων.* Non fugit me ea, quae antea de logistis tradantur, non ex Aristotele esse petita; quo quis argumento uti possit ad firmandam Wilamowitzii sententiam.

male intellectis. Ibi enim non de logistarum quodam scriba sermonem esse, sed de scriba senatus inter omnes constat. Contra praeconem eis fuisse Aeschin. III, 23. docet; de eo postea dicendum erit.

Quae in universum logistarum fuerit provincia, eorum nomine indicatur. Calculatores eos esse, qui de eis scripserunt, viri docti numquam oblivisci debebant. Licet igitur statuere omnes magistratus statim post munera deposita accuratas acceptae et expensae pecuniae publicae rationes illis tradidisse. Hoc intra certum temporis spatium fieri debuisse G. Busolt (l. l. 226) censet comparato Pollucis quodam loco.[1] Haec tamen verba plane alio consilio videntur scripta. Docent enim lege prohibitum esse, ne quis magistratus post tempus certis terminis definitum de rebus a se muneris anno gestis accusaretur; quod quidem mihi videtur sat probabile. In ipsa re vero vir doctus non erravit. Fuit profecto tempus omnibus euthynis dijudicandis statutum, quo qui rationes non reddidissent, eis *ἀλογίου δίκη* exspectanda erat. Et facile credemus Harpocrationi,[2] primos triginta ineuntis anni dies huic rei destinatos fuisse. Nam etsi verum sit, Harpocrationem haec quoque ex scriptore quarto saeculo antiquiore hausisse, tamen vix dubium videatur, quin nihil in hac re posterioribus temporibus mutatum sit.

Tradiderunt sine dubio magistratus logistis rationes tabellis conscriptas; qui vero pecuniam publicam acceperunt nullam, id ipsum per litteras declarare debebant.[3] Primum igitur logistarum officium erat, ut summas ibi denotatas computarent et examinarent. Hoc utrum communiter fecerint an negotiis inter singulos partitis, de ea re nihil certi traditur. Sed antequam plura de logistis disseramus, quaestionem de synegororum officiis instituamus necesse est.

Synegoros denos sorte ab Atheniensibus creatos esse complures grammaticorum loci docuerunt. Primum in lex. Seguer. V. (Bekk. I, 301), quod veteris doctrinae reliquias non spernendas servat, haec leguntur: *συνήγοροι· ἄρχοντες ἦσαν κληρωτοί, οἳ τοῖς λογισταῖς ἐβοήθουν πρὸς τὰς εὐθύνας τῶν ἀρξάντων τινὰ ἀρχήν.* Haec ex Aristotele hausta esse (*Πολ. Ἀθ.* c. 54) nunc videmus, idque confirmatur a schol. Aristoph. ad Vesp. 691: *κληρωτοὺς δὲ γενομένους δέκα συνηγόρους Ἀρ. φησίν.* Mira sane tertii cujusdam loci condicio est. Nam cum in Lex. Cantabrig. Bekk. 672. scriptum esset: *λογισταὶ καὶ συνήγοροι· Ἀριστ. ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ οὕτω λέγει· λογισταὶ δὲ κληροῦνται* (Kaibelius l. l. pro *αἱροῦνται*) *δέκα, παρ' οἷς διαλογίζονται*[4] *πᾶσαι αἱ ἀρχαὶ τά τε λήμματα καὶ τὰς γεγενημένας δαπάνας· καὶ ἄλλοι δέκα συνήγοροι, οἵτινες συνανακρίνουσι τούτοις κ. τ. λ.*, jure suo viri docti existimaverant hoc loco ipsius philosophi verba quamvis valde depravata servari; nunc se deceptos esse perspexerunt. Attamen recte in universum Kaibelium l. l. disputavisse arbitror, qui non consulto haec a falsario ficta Aristotelique attributa esse censuit, sed magis magisque verba genuina immutata esse. Utut enim quae hic leguntur verba ab Aristotelicis aliena sunt, de rebus ipsis dubitari non potest, quin fere consentiant cum eis, quae ab illo traduntur.

[1] VIII, 45: *ἡ δ' εὔθυνα χρόνον εἶχεν ὡρισμένον, μεθ' ὃν οὐκέτ' ἐξῆν ἐγκαλεῖν.*

[2] p. 121: (*οἱ λογισταὶ*) *τὰς εὐθύνας τῶν διῳκημένων ἐκλογίζονται ἐν ἡμέραις λ', ὅταν τὰς ἀρχὰς ἀποθῶνται οἱ ἄρχοντες.* De cosmetarum euthynis cf. Lipsius Att. Proc. 261, n. 163.

[3] Aeschin. III, 22: *καὶ πῶς ὅ γε μηδὲν λαβὼν μηδ' ἀναλώσας ἀποίσει λόγον τῇ πόλει; αὐτὸς ὑποβάλλει καὶ διδάσκει ὁ νόμος, ἃ χρὴ γράφειν· κελεύει γὰρ αὐτὸ τοῦτο ἐγγράφειν ὅτι „οὔτ' ἔλαβον οὐδὲν τῶν τῆς πόλεως οὔτ' ἀνήλωσα".*

[4] Hoc verbum nihil aliud significare nisi accepti expensique rationem instituere non adnotarem, nisi alia videretur esse Schoellii sententia l. l. p. 27.

Ab his nostris synegoris diversissimos esse, quos Harpocr. p. 173. affert synegoros electos[1] eosque omnes, qui in causis sive privatis sive publicis syndicorum munere fungebantur, non est cur pluribus demonstremus.[2] Logistas a synegoris publicis in euthynis examinandis adjutos esse a grammaticis traditum erat, nec quidquam novi integra Aristotelis verba docent, nisi quod synegoros eodem quo logistas publicos modo sorte ductos esse cognoscimus; quaenam vero eorum negotia fuerint, ne ab illo quidem accuratius definitur. In tanta testimoniorum penuria commode accidisse visum est, quod in paganorum (Myrrhinusiorum, ut putatur) decreto quodam celeberrimo (CIA II, 578) posteriore saeculi quarti parte lapidi inciso synegori conjuncti cum aliis euthynarum magistratibus (logista et euthyno) commemorantur. Sed priusquam de illo disseramus, monere nobis liceat, ut omne cautionis genus in comparandis pagorum cum rei publicae institutis adhibeatur.[3] Supra concedendum erat pleraque pagorum instituta totius rei publicae imaginem quandam expressisse. Hoc tamen ita factum videmus, ut eis de singulis rebus constituendis libera facultas daretur. Fortasse unum demarchi munus erat, quo nullus pagus carere poterat, idque ob eam rem, quod solus demarchus auctoritate quadam publica, quamvis angustis finibus definita, praeditus erat. Caeteros magistratus omnes pagi, cum quam maxime inaequales essent, ut suarum rerum ratio postulare videbatur, sibi deligebant. Omnino in omnibus rebus suis administrandis sui juris erant neque ex rei publicae legibus pendebant. Itaque quae de magistratuum paganorum officiis traduntur, ea non semper aeque ad reipublicae magistratus pertinere manifestum est.

His praemonitis Myrrhinusiorum decretum perlustremus, quo, quomodo ineunte anno euthynae instituendae essent, constitutum est. Primi, qui quidem legi possint, huius tituli ab initio truncati versus jusjurandum continent sollemnioribus verbis conceptum, quod ad euthynum referendum esse Schoellius putabat. Sequuntur simpliciores jurandi formulae, quibus logista (v. 13 *λογιεῖσθαι ἃ ἄν μοι δοκεῖ ἀ[νηλ]ωκέναι*) et synegori (v. 14 *συν(η)γορήσειν τῷ δήμῳ τ[ὰ δ]ίκαια καὶ .... εἴσθαι ἃ ἄν μοι δοκεῖ δικαιότατα εἶναι*) uti debebant. Cetera plerumque satis perspicua sunt: non licere euthyno *ἐξελεῖν τὴν εὔθυναν* (quod vix recte interpretatus est B. Haussoullier l. l. p. 82, n. 1: mot à mot „effacer les comptes“), nisi majori decem virorum a paganis delectorum parti placuerit suffragiis tacitis latis. Demarchum novi anni (de *νέος* voce supplenda dubitari nequit) eum esse, qui suffragia ferri jubeat virosque illos decem jurejurando coram pago adigat. Si quis[4] ad commune paganorum concilium provocare velit, id ei licere. Ejus provocationis forma in eis, quae sequuntur, pluribus definitur.[5]

[1] Similia ab aliis traduntur: Hesych. Suid. Phot. In Etym. M. legendum videtur: *συνήγορος προστάτης· ὑπέρ τινων λέγων* (cod. *λόγων*).

[2] Synegoris, de quibus loquimur, mercedem fuisse nullam consentaneum est. Inepte scholiast. Aristoph. Vesp. 691. de alterius generis synegoris dixit: *ἐκ τούτου δὲ φαίνεται, ὅτι μισθοφόρος ἦν ἡ ἀρχή.* Illi enim oratores magistratus non fuerunt.

[3] Schoellium erravisse, cum magistratus illos non pagi proprios, sed rei publicae communes duceret (l. l. p. 30), ita inter omnes constat, ut hanc rem silentio praeterire possimus.

[4] Quin *αὐτῷ* v. 20. non ad demarchum solum, sed ad omnes anni praeteriti magistratus referendum sit, dubitare non possumus.

[5] Quod Wil. II, 239. vocem in tituli vers. 26. vitiose a lapicida exaratam non *εὐθύνας*, sed *ἐγγύας* intellegendam esse conjecit, in eo non audiendus videtur. Nam ipsum *εὐθύνας διδόναι* hoc loco exspectatur, dummodo haec vox recte intellegatur. Non est enim multam statutam solvere, sed simpliciter muneris gesti examen subire.

Tamen totam actionem accuratius explicaturis complures difficultates haud parvae oriuntur. Primum, quinam fuerint decemviri illi a pago electi, non ita facile est ad explicandum. Schoellius eosdem illos putat esse atque synegoros qui supra commemorantur, eumque omnes fere secuti sunt[1] praeter Haussoullierum (l. l. p. 81: Nous ne savons pas quel était le nombre des synégores du dème). Qui quod synegoros non vere magistratus fuisse dixit (Les synégores ne sont pas, à proprement parler, des magistrats: ce sont des assistants, *βοηθοί*), id nunc praetermittamus. Rei publicae enim synegori quin magistratus fuerint, dubitari non licet. Sed synegoros a decemviris secernendos esse recte videtur existimare. Nam etsi facile Schoellio concedimus obscuritatem quandam dicendi in decretis Atticis, praesertim paganorum, haud raro inveniri, ut non in eo offendendum sit, quod eidem modo synegori modo decemviri appellentur, tamen unum obstat, quominus ei adstipulemur. Nam ex vers. 24. cognoscimus multam magistratibus reis a decemviris constitutam esse. Hoc vero non synegororum officium fuisse ex eorum jurejurando elucet. Contra in ea jurandi formula, cujus posterior pars vers. 9. sqq. servata est, recte sine dubio suppletum est [*καὶ τιμήσ*]*ω* e. q. s. Propterea non extra dubitationem mihi videtur positum esse euthyni illud jusjurandum esse.[2] Accedit quod sollemniora hujus jurisjurandi verba concinunt quodammodo cum heliastarum *ὅρκῳ* in Demosthenis oratione Timocratea servato. Nam illud negari non poterit decemviros illos judicii instar creatos esse. Immo ne judicii (*δικαστηρίου*) nomen quidem a tali paganorum actione prorsus alienum inauditumque fuisse memorabili Aexonensium decreto sumus edocti, quod inter alios titulos Aexonenses H. G. Lolling (Mitt. d. d. arch. Inst. z. Ath. IV, p. 193 sqq.) edidit atque enarravit. Quod quamvis mutilum sit, cognoscere possumus paganos ipsos judicum munere functos esse praeside demarcho[3]; sed ibi non de euthynis agitur. Apud Myrrhinusios quoque demarchus decemvirum judicio praesidebat. Accusatorum partes sine dubio synegori agebant, qui juraverant *συνηγορήσειν τῷ δήμῳ*. Quomodo autem verba, quae proxime insequuntur, intellegenda sint (*καὶ . . . . . εἶσθαι ἃ ἄν μοι δοκεῖ δικαιότατα εἶναι*), nondum mihi liquet. Quod enim Kumanudis posuit *ψηφιεῖσθαι* litterarum vestigiis satis aptum, de synegoris recte dici posse non putaverim,[4] aliud quid frustra circumspexi.[5] Sed quidquid de his rebus

[1] Haec etiam Wilamowitzii (II, 289) sententia videtur esse, cum jusjurandum (*ψηφιεῖσθαι ἃ ἄν μοι δοκεῖ δικαιότατα εἶναι*) ad decemviros referat. At quomodo hoc cum eis congruat, quae p. 282 n. 7. dixit, non video.

[2] Non mihi contigit, ut vers. 8. et 9. probabiliter restituerem. Haec tamen dispici posse mihi visa sunt: . . . *ἐμοὶ οὐ*[*δέν*] *καὶ εἰδότος ἐμο*[*ῦ . . . . ι . .*]*ν ε*[*ἶνα*]*ι οὐδεμίαν·* [*κ*]*αὶ ἐὰν* e. q. s. Illud igitur apparet haec omnia ad eandem jurandi formulam pertinere.

[3] Non demarcho accusatore, quod Lollingius putabat; accusatorum partes apud syndicos profecto erant, quorum ibi mentio fit. Nec consentiam cum Lollingio jusjurandum illud, quod tit. IV. legitur quodque similem habet clausulam atque id, de quo modo diximus, nisi quod Neptunus pro Apolline positus est, ad demarchum referendum esse; syndicis potius vel ipsis paganorum judicibus his verbis jurandum fuisse crediderim.

[4] Quamquam hoc maxime verbo tota Schoellii de synegoris disputatio insistit.

[5] Si vera sunt, quae supra disputavimus, putandum erit de euthyni officiis et jurejurando primis tituli versibus dictum fuisse. Quaenam vero ejus partes fuerint, non facile exputabitur. In tanta explicandi difficultate licebit fortasse aliam quoque coniciendi viam significare quamvis non nimis probabilem. Nam si concedere possimus Schoellium recte judicavisse, cum versus 9 sqq. ad euthyni jusjurandum referret, coniciat quispiam ante verba [*ψηφι*]*εῖσθαι* e. q. s. lapicidae errore omissum esse *τοὺς δέκα τοὺς αἱρεθέντας*. Haec conjectura propterea non nimis videtur audax, quod totus titulus incredibili paene neglegentia exaratus est. Sed haec indicavisse satis habemus; utra explicandi ratio probabilior sit, alii dijudicent.

arbitramur, illud non dubitandum videtur, quin certi nihil ex his paganorum decretis concludere possimus de synegororum publicorum negotiis.

Horum igitur titulorum auxilio destituti ad conjecturas reicimur, ut, quomodo negotia in euthynis instituendis inter synegoros et logistas partita fuerint, assequamur. Licetque ex ipsis illorum magistratuum nominibus suspicari logistas, ut supra diximus, rationes tabellis conscriptas computavisse et, num summae acceptae et expensae redditaeque pecuniae ibi denotatae concinerent, examinavisse, synegoros in res a magistratibus gestas inquisivisse et, si quid minus recte factum putarent, cum logistis communicavisse. Quaesitorum igitur provincia logistis, procuratorum publicorum synegoris attribuenda erit. Revertamur nunc ad illam quaestionem, utrum communiter logistae (itemque synegori) res tractaverint an inter singulos partitas. Hoc plerisque verisimilius visum est quam illud,[1] videturque ea re probari, quod *λογιστήρια* commemorantur plurali numero. De his logisteriis Harpocratio: *λογιστήρια δ' ἐστὶ τὰ τῶν λογιστῶν ἀρχεῖα, ὡς Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους καὶ Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ τῶν μυστηρίων δηλοῦσιν.* Dinarchi verba orationis sunt deperditae, quidque ibi de logisteriis dictum fuerit, ne suspicari quidem possumus. Alter autem locus non in ipsa Andocidis oratione legitur, sed in Patroclidis populiscito ibi servato, unde efficitur haec ad quinti saeculi consuetudinem spectare. Quod vero grammaticus logisteria dicit logistarum tabularia esse, hoc quamvis recte per se videatur dictum esse, decreti illius verbis certe non confirmatur. Nam in his nihil omnino de logistis inest, sed euthyni in logisteriis dicuntur de rationibus redditis dijudicavisse. Aliam ejus vocis explicationem Pollux (IX, 44) praebet: *λογιστήριον, ἵνα οἱ λογισταὶ συνεκάθιζον*; quae si vera sit, certum habeatur testimonium logistas conjunctim munere suo functos esse. At ne in hac quidem re Polluci multum auctoritatis tribuemus, praesertim cum non constet eum hoc loco de institutis Atticis loqui.[2] Praeterea logisterium singulari numero commemorat [Lys.] XX, 10: *καὶ οἱ μὲν τὸν βίον ἅπαντα πονηροὶ ὄντες χρηστοὶ ἐν τῷ λογιστηρίῳ γεγένηνται πείσαντες τοὺς κατηγόρους, οἱ δ' ἀεὶ ὑμῖν χρηστοί, οὗτοι πονηροί.* Sed neque ex hoc loco certi quidquam de logistarum ac synegororum negotiis concludere possumus neque ex eis, quae de Timarcho injuste logistae publici munere functo Aeschin. (I, 107) narrat. Contra commemoratione dignum mihi videtur logistas duobus Demosthenis locis (XVIII, 117: *ὅτε με εἰσῆγον οἱ λογισταί.* XIX, 211. *προσελθὼν Αἰσχίνης οὑτοσὶ τοῖς λογισταῖς*), quibus aperte de rationibus ab illis examinandis sermo est, plurali dictos esse numero.

Itaque his omnibus rebus perpensis facere non possumus, quin aliquanto cautius de logistarum officiis judicemus. Fortasse res ita fieri solebat, ut primum logistae singuli singulas rationes examinarent, deinde universi adjutoribus, i. e. accusatoribus, synegoris commune consilium inirent de accusationibus contra magistratus reos instruendis et comparandis. Quod vero viri docti putabant decem fuisse logisteria, hoc, etiamsi non negemus quarto saeculo complura logisteria

---

[1] Gilbert, l. l. 251: Die Richtigkeit der einzelnen Abrechnungen wurde alsdann von den Logisten, welche wohl die Geschäfte unter sich teilten, geprüft. Wil. II, 232: Die logisten, zehn erloste beamte, haben binnen 30 tagen die rechnungen zu revidiren, was sie natürlich nicht als collegium tun, sondern in arbeitsteilung: daher giebt es mehrere bureaus, *λογιστήρια*, vermutlich 10.

[2] Gambreotarum *λογιστήριον* commemoratur in titulo Dittenb. Syll. 470, v. 36: *τῷ πρώτῳ λογιστηρίῳ.* Dittenb. *πρ. λογ.* explicat proximum logistarum consessum, nescio an recte.

fuisse, propterea minus probabile est, quod non omnes magistratus secundum tribus creati erant neque omnino tribuum in hac re ratio habita videtur esse.

Accusatores in euthynarum causis et a Ps.-Lysia eo, quem supra adscripsimus, loco XX, 10. et ab Aeschine III, 9. commemorantur, ita tamen, ut certo dijudicari nequeat, utrum publici an privati accusatores intellegendi sint. Rectissime autem Lipsius Att. Proc. p. 264, n. 174. homines privatos accusationes ad logistas detulisse Demosthenis loco quodam probavit.[1] Quod enim ibi legitur *εἰςελθεῖν εἰς ὑμᾶς,* i. e. in judicum juratorum judicium introduci, ad eam actionem refertur aptissime, quae fiebat in judicio praesidibus logistis. Eis quoque, quae Aeschines fecit (Dem. XIX, 211: *προσελθὼν Αἰσχίνης οὑτοσὶ τοῖς λογισταῖς ἔχων μάρτυρας πολλοὺς ἀπηγόρευε μὴ καλεῖν ἐμὲ εἰς τὸ δικαστήριον ὡς δεδωκότα εὐθύνας καὶ οὐκ ὄντα ὑπεύθυνον*) demonstrari quodam modo potest logistas in rationum examine instituendo privatorum operam non repudiavisse.[2] His rebus omnibus, quas adhuc persecuti sumus, peractis logistae magistratus in judicium introducebant statis, ut putandum est, vel indictis diebus, ut omnes, quorum res agerentur, praesto esse possent. Si quod antea praejudicium factum est, logistae illud faciebant, non, de quibus ab aliis cogitatum est, synegori. Videntur etiam logistae, sicut de aliis collegiis (praetorum, nautodicarum) constat, una judicio praesedisse, etsi unus sine dubio praesidis munere fungebatur. Sed plane inauditum Wilamowitzio II, 232. visum est id, quod plerique grammatici[3] tradunt, ipsos logistas judicia sibi sortitos esse. Nec nos dissentimus, nisi forte putas, id quoque ad antiquiorum temporum morem esse referendum. De rebus in ipso judicio actis pleraque nobis conjectura colligenda sunt neque certis semper testimoniis possunt confirmari. Tamen ea, quae proxime ad probabilitatem accedant, significare jam conabimur.

Magistratus igitur, quicumque scriptas logistis tradiderant rationes, singulos putamus in judicium introductos esse, et de singulis quoque ab eo, qui praesideret, logista judices ad suffragia esse vocatos.[4] Antequam id fieret, aut probatas sibi esse magistratus in examen deducti rationes logistae declarabant, aut synegororum alicui mandabant, ut praevaricationis illum accusaret. Praeterea tunc fortasse tempus erat praeconem more majorum interrogare, num quis accusator vellet existere. Nam quae altera huic rei conveniens cogitari possit occasio, conjectura non assequimur. Non vero illud praeconium ad solos judices pertinuisse putandum est, sed ad omnes, qui judicio adfuerunt. Magnam enim audientium coronam causis publicis, imprimis euthynarum judiciis, adstitisse complures oratorum loci docent.[5] Quin etiam id persuasum nobis est non solum civibus, sed etiam aliis quibusvis concessum fuisse, ut magistratus hypeuthynos

---

[1] XIX, 2. *πρὶν γὰρ εἰςελθεῖν εἰς ὑμᾶς καὶ λόγον δοῦναι τῶν πεπραγμένων τὸν μὲν ἀνήρηκε τῶν ἐπὶ τὰς εὐθύνας ἐλθόντων, τοῖς δ' ἀπειλεῖ περιιών.*

[2] De sycophantis in magistratuum euthynis grassari solitis vid. Att. Proc. 265.

[3] Non enim solius Photii auctoritate haec nituntur, quippe quae legantur etiam in lex. Seguer. V. Bekk. 245; unde cetera (Suid. Etym. M. Schol. Aeschin. III, 16) fluxisse existimo.

[4] Ubi nullus inveniebatur accusator, unus fortasse pro omnibus suffragium ferebat.

[5] Cf. praecipue Lys. XXVII, 7: *ἥκουσι δὲ πάντες οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες οὐχ ἡμῶν ἀκροασόμενοι, ἀλλ' ὑμᾶς εἰσόμενοι ἥντινα γνώμην περὶ τῶν ἀδικούντων ἕξετε.*

accusarent.[1] Accusatis autem magistratibus licebat sine dubio statim se defendere; qui vero non aderant, ei certo contumaciae poena afficiebantur.[2]

De ipsis accusationibus in illa euthynarum actione usitatis deque poenis magistratibus hypeuthynis constitutis certius aliquanto judicare nobis licet. Utrasque enim, et accusationes et poenas, quas statuere judicum erat, certis legum finibus circumscriptas fuisse Aristotelis (*Πολ. Ἀθ.* 54.) verbis evincitur, unde cognitum habemus, tria omnino criminum genera legitima fuisse: *κλοπῆς*, *δώρων*, *ἀδικίου*. Omnibus illis criminibus multae tantummodo statutae erant, nulla alia poena (Wil. II, 232). Nam qui pecuniam publicam per fraudem in suum usum converterant, *κλοπῆς* accusati summa decemplici delicti sui poenas luebant. Similiter, qui pecunia jus adulteraverant, eis decemplex pecunia illa, qua erant empti, solvenda erat. Qui autem non tam dolo malo quam neglegentia deliquerant aliquid, quo rei publicae damnum esse illatum videbatur, eis multa simplex statuta erat. Praeterea lege erat sancitum, ut simplices multae, nisi ante prytaniam nonam solutae essent, duplicarentur, quod non cadebat in multas decemplices. Omnia haec, ut inter se concinunt, ita optime videntur convenire cum tota illa euthynarum ratione, de qua supra diximus; in ea enim maxime agebatur de detrimentis, quibus magistratuum culpa populus affectus erat. Supplicium igitur et capitis deminutio ab illa actione prorsus aliena erant,[3] eaque omnia, quae de peculatus causis traduntur ab oratoribus sane inter se nonnumquam pugnantia, ad eam videntur euthynarum formam pertinere, de qua infra sumus dicturi.[4] Quae cum ita sint, errant haud dubie, qui logistas *γραφὰς κλοπῆς* vel *δώρων* instruxisse putent. (Busolt p. 226. Gilbert p. 252). Nam compendiaria illa ac praesens de magistratibus actio *γραφῆς* nomine appellari nequit. Et praeter rationes magistratuum hypeuthynarum intra certum temporis spatium dijudicandas dubito an alia nulla fuerint logistarum synegororumque negotia. Propterea etiam causas rationum non redditarum (*δίκας* vel potius *γραφὰς ἀλογίου*) ad thesmothetas quam ad logistas referre malim. Sed de hac re certi quidquam statuere non licebit.

Pauca sed ea memorabilia in decreto circ. ol. 84. de colonis in Euboeam deductis facto leguntur (CIA I, 29). Comperimus enim, siquidem vers. 12. recte restitutus est, rationes magistratibus in ipsa terra Hestiaeotide reddendas fuisse, ita tamen, ut res graviores (id quod ex versibus extremis potest concludi) judicibus Atticis reservarentur. Quod cum ita sit, dubium videri potest, num *εὔθυναι* in notissimo illo de Chalcidensibus decreto (CIA IV, 27a) ad euthynas referri possint. Sed hanc rem tangere nunc non audeo.

---

[1] Hominem isotelia praeditum in tali re accusatorem fuisse docet Lipsius Att. Proc. 257, n. 148. Sed exteros quoque accusatores admissos esse demonstrat Dem. XIX, 81: *ἀλλὰ μὴν ὅ γε δῆμος ὁ τῶν Φωκέων οὕτω κακῶς καὶ ἐλεεινῶς διάκειται, ὥςτε μὴ περὶ τοῦ κατηγορεῖν τὰς Ἀθήνησιν εὐθύνας εἶναι τὸν λόγον.*

[2] Cf. [Lys.] XX, 18. (de prioribus Polystrati euthynis).

[3] Quod Wil. II, 237. suspicatus est, Athenienses nonnumquam legibus neglectis etiam in euthynis compendiariis supplicia decrevisse, ejus rei certe nullum exstat exemplum.

[4] Contra, quae Demosthenes de Callia narrat (XX, 278: *μικροῦ μὲν ἀπέκτειναν*), quin ad *εἰςαγγελίαν* referenda sint, nullus dubito, certe non ad euthynas, quarum postea demum mentio fit (*ἐν δὲ ταῖς εὐθύναις πεντήκοντα ἐπράξαντο τάλαντα*). Quinque ergo taléntis ille emptus esse arguebatur.

III.

Euthynarum actionem compendiariam, quae praesidibus logistis in omnes magistratus statim post munera deposita institui solebat, hactenus adumbrare sumus conati. Sed praeterea institutum fuisse, ut magistratus etiam post illud prius judicium de rebus gestis accusari possent, id quod Schoellius statuerat, Aristotelis testimonio confirmatum est. Ejus enim beneficio, qui satis copiose hanc rem *Πολ. 'Αθ.* cap. 48. tractavit, factum videmus, ut de hoc euthynarum genere etiam accuratius, quam de priore illo, judicare possimus. Inde etiam, quaenam euthynorum eorumque assessorum, quibus in priore actione locus erat nullus, in magistratuum rationibus reddendis fuerit provincia, tandem aliquando dispicitur.

Mirari non possumus plerosque viros doctos in eo olim offendisse, quod eundem magistratum de ejusdem anni rebus gestis iterum in jus vocatum esse Schoellius obtinebat. Sed illud tenendum est ne ita quidem factum esse, ut eidem magistratus de rebus plane eisdem accusarentur. Nam quin in eos, qui praevaricationis alicujus essent a judicibus damnati, de eadem re altera accusatio concessa non fuerit, nemo est, qui dubitet, idque etiam in eas res valuisse existimo, quarum accusati magistratus judicum calculis absoluti essent. Sed si vera sunt, quae supra demonstrabamus, euthynas compendiarias non propriam fuisse actionem judicialem in eisque populum detrimentorum, quibus ipse affectus esset, poenas a magistratibus exegisse, facile explicari possumus, cur praeter illas euthynas magistratus accusandi de rebus publicis privatisve facultas data sit. Facile enim fieri potuit, ut in priore actione de aliqua causa accusator existeret nullus; privata autem crimina ab ea omnino aliena erant. Itaque prorsus necessarium videtur fuisse, ut illis compendiariis euthynis supplementum quoddam adiceretur.

Sed priusquam ad describenda euthynorum negotia accedamus, facere non possumus, quin, quam diligentissime possumus, inquiramus in illud discrimen, quod inter *λόγος* et *εὔθυνα* intercedere putat Wil. II, 236. Liceat hoc loco ipsa ejus verba adscribere: In diesen formeln (scil. *λόγον καὶ εὐθύνας διδόναι* sim.) hat sich der unterschied der rechnunglegung vor dem gerichte und den ‚rechnern' einerseits, der ‚correctur' von amtsverfehlungen auf grund der beschwerde beim ‚corrector' immer erhalten. die sprache lässt auch an sich keinen zweifel. *λόγος λογιστής λογίζεσθαι, λόγον ἐγγράφεσθαι* (? dicendum erat *ἐγγράφειν*), *ὑποσημαίνεσθαι* (?), das geht alles die schriftliche rechnung an. *εὔθυνος* ist der, der die *σκολιαὶ θέμιστες* gerade macht, *εὔθυνα* ist zunächt die procedur dieses geradenmachens, doch nicht von seiten des ‚correctors' aus, sondern dessen, der sich der prüfung auf die geradheit unterzieht, *εὔθυναν δίδωσιν* oder *ὑπέχει*; erst weil es meist zur ausgleichung des geldes bedarf, heisst *εὔθυνα* auch geldstrafe. Recte in his procul dubio dictum est *λόγος, λογιστής* talia ad scriptas rationes pertinere. Quae vero de voce *εὔθυνα* proferantur, ea me non plane intellegere ingenue profiteor. Quidni putemus corrigendi notionem illam, quae sane inest in vocabulo *εὔθυνα*, maxime pertinere ad ipsum ‚correctorem'? Et videtur Wil. illud quidem sibi sumpsisse ex verbis *εὔθυναν* (rectius *εὐθύνας*) *διδόναι* vel *ὑπέχειν*. At haec aperte nihil aliud significant nisi corrigendi facultatem dare, correctoris examen sustinere. *Εὐθύνειν* vero vel *κατευθύνειν* semper de judicibus dictum videtur vel etiam, si Polluci (VIII, 67.) fides habenda est, de accusatoribus.

Sed majoris profecto momenti est accuratissime pernoscere, quomodo *λόγος* et *εὔθυνα* (vel *εὔθυναι*) inter se differant. Hoc propterea non ita facile est, quod interdum, imprimis translatione

quadam adhibita, utraque vox paene idem significat. Nam Dem. XIX, 33. cum diceret *εἰς λόγον περὶ τῶν πεπραγμένων ἑαυτὸν καθιστάναι*, non de aliqua ratione (i. e. Rechnung) cogitabat, sed de rerum gestarum examine subeundo (Rechenschaft über das Gethane). Itaque non negaverim recte dictum esse *λόγον (περὶ τοῦ βίου) ὑπέχειν* [Andoc.] IV, 37; *εὐθύνας καὶ λόγον ὑπέχειν* Gorg. II, Bekk. 689, 23. Eadem vocabuli significatio occurrit altero Demosthenis loco (XIX, 211). Plerumque autem *λόγον διδόναι* dicitur de simplici computatione facta (Rechnung legen): CIA I, 32a bis. Lys. XXIV, 26;[1] similiter *λόγον καταβάλλεσθαι* CIA II, 403; 404; 595. Debitas vero rationes reddi (Rechnung ablegen) praepositione *ἀπό* significatur varie adhibita: *λόγον ἀποφέρειν* Lys. XXX, 5. (cod. *ἀναφέρειν*); Aeschin. III, 22 bis. Aristot. *Πολ. Ἀθ.* 54. *λόγους ἀποφέρειν* CIA II, 444. 446. *τοὺς λογισμοὺς ἀποδιδόναι* CIA II, 611. *λόγους ἀποτιθέναι* Plut. Per. 32 (fortasse e Dracontidis plebiscito). *ἀπολογίζεσθαι* CIA II, 329. 446. 594. Aeschin. III, 25. (cf. Ammon. p. 26. Amm.: *ἀπολογίζεσθαι τὸ ἀποδοῦναι τὸν λόγον τῶν δαπανημάτων*). *ἀπολογισμὸν ποιεῖσθαι* CIA II, 467. Cum tamen rationes scriptae pars magna sint totius examinis de rebus gestis instituti, mirandum non est nonnumquam dici *λόγον καὶ εὐθύνας διδόναι* CIA II, 581. Aesch. III, 11; 12; 24; 26. [Dem.] XLIX, 25. Quod autem pro eo ap. Aeschin. III, 15. positum est, *λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν*, ex proprio dictum est juris Attici usu. Alio loco Aeschin. III, 20. *λόγον ἐγγράφειν* dicit juxta posito *καὶ εὐθύνας διδόναι*; prius illud solum legitur ap. Demosth. XXIV, 199. Aristoph. Vesp. 961 (cf. Wil. II, 244). Etiam brevius idem significatur verbo *ἐγγράφειν* nude posito Lys. XXX. 5. Dem. XXIV, 199. Aeschin. III, 22. Sed cum in universum de magistratibus in legitimum muneris examen deducendis vel deductis sermo est, nihil tam saepe occurrit quam *διδόναι (τὰς) εὐθύνας*: CIA I, 29; 32a. II, 114a, b, c; 190; 240; 287; 307; 314; 444; 446; 465; 469; 470; 471; 578; 594; 611; 617; IV, 31a. Lys. XIV, 38. XXV, 30. XXVIII, 5. XXX, 4, 5. Isocr. XV, 129. Aeschin. II, 178. Dem. XVIII, 117. XIX, 2, 69, 103, 211. XXII, 38. [XXV, 37.] Aristot. Politic. III, 1282a. *Πολ. Ἀθ.* 48 bis. 56. Plut. Nik. 6.[2] Multo rarius invenitur *εὐθύνας ὑπέχειν*, quod praeter Lysiam IX, 11. XXIV, 26. XXX, 3. solus exhibet Dem. XVIII, 114.

Quae cum ita sint, facere non possumus, quin a Wilamowitzii sententia discedamus. *Λόγον διδόναι* talia imprimis de scriptis rationibus dici supra concessimus; raro id, translatione admissa, de eo dictum inveniri adjecimus, quod nos vocamus ‚Rechenschaft'. At *εὐθύνας διδόναι* non rationum reddendarum partem tantum, sed omnino examen de rebus gestis deque pecunia administrata institutum significare certissimum est. Propterea (atque id ut demonstraremus, maxime nostra intererat), non *λόγον διδόναι* ad logistas, *εὐθύνας διδόναι* ad euthynos referendum est, certe eis de quibus loquimur temporibus. Sed *εὐθύνας διδόναι* vel etiam *λόγον καὶ εὐθύνας διδόναι* vera et propria significatio est illius actionis, quae de omnibus magistratibus aeque post muneris annum exactum institui solebat in judicio praesidibus logistis. Cujus rei etiam haec testimonia afferri possunt. Primum saepenumero eos magistratus in titulis legimus laudatos et praemiis ornatos, qui audiunt *δεδωκότες τὰς εὐθύνας*, idque vix apte intellegitur de illis, qui apud euthynos accusati erant vel etiam condemnati poenas luerant, sed qui legitimum illud commune examen subierant justeque munere functi erant visi. Deinde ipse Aristoteles hoc disertis verbis demonstrat, cum dicat (*Πολ.*

[1] Utroque loco praeterea *εὔθυναι* commemorantur.

[2] Grammaticorum dicendi consuetudinem omnibus locis consulto praetermisimus.

'Αθ. 48): *κἄν τις βούληταί τινι τῶν τὰς εὐθύνας ἐν τῷ δικαστηρίῳ δεδωκότων ἐντὸς γ' ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἔδωκε τὰς εὐθύνας εὔθυναν.... ἐμβαλέσθαι* e. q. s.

Sed jam totum hoc caput perlustremus. Accipimus denos quotannis euthynos sorte ductos esse, singulos ex singulis tribubus. Eorum sortitionem a senatu factam esse verborum contextu rerumque serie efficitur. Quod autem Wil. II, 234. putabat senatores eos ipsos quoque fuisse, id certe non eadem confidentia audeo affirmare. Deest enim in describenda euthynorum sortitione *ἐξ αὐτῶν,* quod paragr. praeced. de logistis senatoriis usurpatum legimus; contra ibi omissum est *ἕνα ἐκ τῆς φυλῆς*; quamquam non negandum puto *φυλάς* etiam de senatus partibus potuisse dici. Itaque hanc rem nunc in incerto relinquendam esse censeo.

Differunt euthyni a plurimis magistratibus ea re, quod bini singulis assessores erant, etiam ei sorte creati. Quod cur factum sit, facile est ad intellegendum. Judicum enim quodam modo munere fungebantur, neque, quin antiquioribus temporibus latius eorum potestas patuerit, dubitandum mihi quidem videtur. Assessoribus igitur adjunctis prohibebatur, ne ex uno judicium penderet. Debebant singuli cum assessoribus suis euthyni in foro ad singulas heroum eponymorum, qui dicebantur, statuas (*κατὰ τὸν ἐπώνυμον*) considere, eo haud dubie consilio, ut unicuique tribulium facilis ad suum euthynum aditus pateret. Sed quid illud *ταῖς ἀ[γορ]αῖς,* quod in codice scriptum fuisse nunc omnes fere consentiunt (cf. Kaibel l. l. Wil. II, 235), sibi velit, non ita facile explicatur. De tribulium concionibus cogitari non posse mihi paene certum est, quas in foro habitas non esse rectissime Wilamowitzius adnotavit. Neque quidquam eo proficitur, quod Kaibelius putavit illas conciones solum ad tempus definiendum hoc loco nominari; nam temporis definitionem in eis, quae sequuntur, habemus. Itaque una, quae quidem adhuc inventa sit, mihi videtur idonea esse reique ipsi convenire Wilamowitzii interpretatio, quae haec est: in den Stunden des Marktverkehrs, quamquam exempla apta, quibus hic vocabuli usus illustretur, non sunt in promptu.

Proximis verbis edocemur accusationes apud euthynos non concessas fuisse nisi in eos, qui antea rationum reddendarum causa in judicium introducti essent; qua de re supra paucis disputavimus. At fieri vix poterit, quin temporis accusationibus illis statuti definitio, quae hic invenitur (*ἐντὸς γ' ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἔδωκε τὰς εὐθύνας* sc. *ἄρχων τις*) dubitationem moveat. Quamquam de *γ'* in *λ'* mutando non cogitamus; videntur enim tres dies illis rebus administrandis satis fuisse. Tamen statuendum esse crediderim Aristotelem hoc loco minus accurate locutum esse. Quomodo enim animo nobis effingere possumus euthynos decem ternis diebus post singulos semper magistratus judicum calculis absolutos in foro consedisse? Id omnino fieri non potuisse manifestum est. Putaverim igitur Aristotelis verba ita intellegenda esse, ut tribus illis diebus euthynos munere functos esse statuamus, quibus triginta illi priores exciperentur omnibus magistratuum euthynis publicis constituti. Quod temporis spatium ne cui nimis breve videatur, considerandum est unicuique civium (vel etiam hominibus exteris) tantam hypeuthynos accusandi facultatem concessam fuisse, ut non ab omni probabilitate abhorreat hanc licentiam temporis certe finibus angustioribus esse repressam.

Paullo plenius, quam solet, Aristoteles verbis insequentibus describit, qua ratione euthyni causas ad se delatas tractaverint. Id propterea factum esse suspicor, quod ejusmodi actio juris Attici sine dubio propria erat. Et primum quidem scriptis opus erat accusationum libellis, quae

continerent accusatoris accusatique nomina et crimen, adjuncto praeterea poenae genere, quod unicuique justum videbatur; nam in hoc statuendo suo accusator agebat arbitrio (*καὶ τίμημα* [*ἐπιγραφ*]*όμενος*[1] *ὅτι ἂν αὐτῷ δοκῇ*). Itaque quin tales causae inter *γραφάς* recensendae sint, nemo erit qui dubitet, quamvis facile concedamus earum condicionem non plane eandem fuisse atque ceterarum hujusmodi causarum. Maxime autem ea re a reliquis differunt, quod euthynorum erat in crimina inquirere et de eis praejudicare (*ἀνακρίνειν*[2] et *καταγιγνώσκειν*), non erat accusatos in judicium introducere (*εἰςάγειν*). Causas enim privatas judicibus illis quadraginta, qui vocantur *οἱ κατὰ δήμους*, tradebant, cum magistratum reum esse judicaverant, publicas autem ad thesmothetas deferebant. Unum in his Aristotelis verbis dubium potest esse, quomodo lacuna col. XXV, v. 52. sit explenda (cf. Sandysii adnot.).

Quid enim *ἀναγράφει* hoc loco significet, non satis intellego. De *ἐγγράφειν* verbo quamvis in ejusmodi rebus saepe usurpato propterea dubitandum esse existimo, quod alioqui semper de magistratibus ipsis rationes reddituris et sive conjunctum cum *λόγον* vel *εὐθύνας* sive nullo objecto apposito legitur. Dubito an maxime commendetur *ἐπιγράφει* comparatis legis cujusdam verbis, quae apud Aeschinem (I, 35) inveniuntur.[3] Sed haec omnia non videntur sufficere, ut litterarum in papyro exstinctarum spatium recte expleatur; contra quae primo conjecerant Kaibelius et Wilamowitzius, hujus spatii fines excedunt. Ac fortasse certi quidquam statui vix poterit; putaverim equidem tale quid scriptum fuisse quale *μετεπιγράφει*.

De ipsa autem re judicium certum est: cum acceperant thesmothetae scriptam accusationem, causa eis praesidibus redibat in judicium. In ejusmodi euthynarum causis *πρόςκλησιν* fuisse necessariam monuit Lipsius Att. Proc. p. 784. Ceterum synegoris publicis opus non fuisse in aperto est; nam ei, qui ad euthynos rem rettulerat, etiam apud judices accusatoris partes erant agendae.

Restat unum, in quo ab aliis dissentiendum esse nobis videatur. Wilamowitzius enim (II, 243) statuit thesmothetas causas ab euthynis instructas sibique traditas repudiare potuisse. Nititur sine dubio ejus sententia verbis *ἐὰν παραλάβωσιν*. Atqui nullum novi exemplum, quo certo possit demonstrari verbum *παραλαμβάνειν* idem significare ac nostrum ‚annehmen‘, sed semper, quantum intellego, ejus verbi sententia est ‚in Empfang nehmen‘, traditum aliquid accipere, velut regnum hereditatis jure talia.[4] Ac si putemus thesmothetis in integro fuisse, utrum accusationes delatas reciperent an recusarent, euthynorum prorsus nullus fuerit usus. Accedit, quod numquam thesmothetas videmus legibus obstrictos, ut certa quaedam accusationum genera reciperent; at de euthynis illud interdum factum esse titulorum testimoniis comperimus. Id autem frustra institutum esset, si thesmothetis licuisset suo arbitrio de causis in judicium deducendis statuere.

---

[1] *ἐπιγράφεσθαι* verbum de ea re sollemne videtur fuisse; cf. Sandys. in adnot. Wil. II, 235.

[2] *ἀ*[*νακρίνας*] a Lipsio Waytioque restitutum ita videtur unum huic loco aptum, ut de eo supplemento dubitari non possit.

[3] Cf. praeterea Att. Proc. p. 213.

[4] Apte verbi *παραλαμβάνειν* usus mihi videtur illustrari eis, quae in traditionum tabulis leguntur; cf. imprimis CIA II, 809b, v. 46 sq.: *τάδε παρελάβομεν καὶ ἀπελάβομεν σκεύη ξύλινα ἐν νεωρίοις*, ubi manifesto *παραλαβεῖν* est ‚in Empfang nehmen‘, *ἀπολαβεῖν* ‚abnehmen‘.

Sed omnino judicium de illis, quorum modo mentio facta est, titulis (Cia I, 34; cf. IV, p. 63. II, 809b) difficilius visum est. Quamquam quod priore loco cautum est, ut euthynus cum assessoribus suis in reum quendam certam multam statueret, quod nisi fecissent, ipsi essent multae solvendae obnoxii, hoc ita facile quis explicare possit, ut censeat euthynorum potestatem ac provinciam quinto saeculo aliam fuisse atque eis temporibus, de quibus ab Aristotele edocemur. Sed alterum decretum memorabile, quod de colonis in mare Hadriaticum deducendis factum curatorum navalium traditioni ann. 325/4 institutae insertum est, cum libelli Aristotelici testimonio aequale fere sit, non eodem poterit modo explicari. Et vereor, ut omnibus satis probabile videatur, quod Wil. II, 237, n. 23.[1] proposuit, hoc loco formulam vetustiorem ab ipso rogatore non recte perspectam sive non recte adhibitam repeti. Si vero statuerimus illa euthynis extra ordinem mandata fuisse (Gilbert p. 253, n. 1), difficultatem hanc magis evitavisse quam explanavisse videbimur. Ac ne id quidem recte disputatum putamus (Busolt p. 227) euthynorum fuisse multam statutam omnibus eis imponere, qui, quae populus decrevisset, non effecissent. Nam de eis certe, quos descripsit Aristoteles, euthynis tale quid nusquam traditur, quippe qui quaesitorum munere functi sint, non accusatorum publicorum; et frustra provocatur ad Pollucis locum quendam,[2] quocum conferendum est schol. ad Plat. leg. XII, 945.[3] Illis enim testimoniis perturbatis ac confusis omnino nihil probari posse rectissime monuit Wil. II, 241.

Attamen, quae hoc titulo traduntur, minime talia sunt, qualia ad euthynos nostros pertinere nequeant. Nihil enim, quantum video, obstat, quin existimemus hoc quoque loco de rationibus rite reddendis esse sermonem. Illud solum statuitur, ut ipsi euthyni cum assessoribus multam lege finitam praestent, si quis certi cujusdam delicti apud eos juste accusatus poenam meritam effugerit. Nulla igitur re cogimur, ut putemus ipsos euthynos de criminibus illis judicavisse causa non ad thesmothetas delata. Neque id nimis videri potest mirabile hominum privatorum hic mentionem fieri, cum, quicumque aliquas res publicas administrandas suscepissent vel legibus, ut id facerent, essent coacti, et in judicio rerum gestarum examen subire deberent et postea apud euthynos accusari possent. Atque eo minus in hac re offendendum est, quoniam hoc loco de colonia deducenda agitur.

Quae cum ita sint, nihil certi de euthynorum eorumque assessorum negotiis statui poterit praeter ea, quae apud Aristotelem inveniuntur. Illa tamen ejusmodi sunt, ut satis accurate de illorum potestate publica judicandi nobis dent facultatem neque, quomodo eorum provincia differat a logistarum, in dubio relinquatur. Poterat, quisquis magistratum criminis alicujus reum facturus erat, aut praesens sive apud logistas sive in judicio eum accusare aut scriptam accusationem euthynis tradere. Quaenam autem *γραφαὶ περὶ τῶν εὐθυνῶν* praeter illas ad euthynos delatas esse potuerint, non videmus. Ea igitur, quae ab oratoribus Atticis de rationibus a magistratibus redditis commemorantur, ad haec duo euthynarum genera videntur spectare omnia. Utrum vero

---

[1] ‚Der ganze tenor klingt sehr archaisch, und die ganze coloniegründung, zu der dieses psephisma gehört, ist ein ausfluss der lykurgischen restaurationspolitik. so dürfte auch hier die formel eben nur formel sein.‘

[2] VIII, 100: *οἱ δὲ εὔθυνοι, ὥςπερ οἱ πάρεδροι, τοῖς ἐννέα ἄρχουσι προςαιροῦνται· οὗτοι εἰςπράσσουσι καὶ τοὺς ἔχοντας . . .*

[3] *Ἐκπράσσει δὲ ὁ εὔθυνος, ὅσα ἐπὶ τῆς ἀρχῆς, ᾗ προςτέτακται, ὤφλόν τινες εἰς τὸ δημόσιον.*

singulae ejusmodi orationes nobis servatae[1] logistis praesidibus an thesmothetis habitae sint, plerumque non facile erit ad dijudicandum. Celeberrimam illam quidem Aeschinis causam *παραπρεσβείας* per euthynum ad thesmothetarum judicium delatam esse certissimum est; qua de re conferas Wil. II, 237, n. 23. De ceteris id tantum judicemus ne in una quidem certum inveniri documentum, quo demonstrari possit eam in logistarum judicio habitam esse.

De Atheniensium logistis euthynis synegoris publicis, quales fuissent Aristotelis temporibus, haec habuimus, quae diceremus. Quae autem euthynarum Atticarum ratio antiquioribus temporibus, quinto potissimum saeculo, fuerit, eam quaestionem in aliud tempus differendam putavimus.

[1] De orationibus in euthynis habitis conferendus est praeter Blassii librum (Die Attische Beredsamkeit) imprimis Lipsius Att. Proc. p. 257.